Kunk Pauli Joannis: Regia Angelorum nativis circumfusa aquis.

REGIA ANGELORVM

NATIVIS CIRCUMFUSA AQUIS

D. THOMAS AQVINAS

DOCTOR ANGELICVS

Annuâ suæ Solennitatis recurrente luce.

Jn

BASILICA D. DOMINICI CELEBERRIMI CONVENTVS POSNANIENSIS.

Jn

Amplissima Jllustrissimi, & Nobillissimi Auditoris Coronà

Oratoris de Rostris officiosi cultûs penegyricisq; coloribus in Orbis facie

DELINEATA.

A

M. PAULO JOANNE KUUK, in Alma Studiorum Vniversitate Cracoviensi, AA. LL. & Philosophiæ Doctore, in Lubransciano Academico Collegio, Ejusdem protunc Actuali & ordinario Professore Sacra sede Apostolica Notario Publico

è

Multorum voto Vniversi oculis

EXTRUCTA.

Anno Regis Dolorum, in Hierosolymitana Regia post circumfusi cruore 1696, die 8va Martij.

TYPIS ACADEMIÆ POSNANIENSIS

Jn Gentilitium Nobilissimæ Domûs
JNSIGNE



Zodiacum Lechico pandit Tua FASCIA mundo
Jnquo non humili luce triumphat Honos
Hîc Aries, vellus, Leo vim, Taurusq; labores
Et quidquid magnum, fulgida signa locant.

PERILLVSTRI & REVERENDISSIMO DOMINO

D. ANDREÆ

Jn Podolino

PODOLSKI

J. V. Doctori, Scholastico Gnesnensi, Archidiacono, & Officiali Generali Vicario in Spiritualibus Præmisliensi, Lancucen, Sepusien, & Podoliensi Præposito, S. R. M. Secretario

D.D. P. S. v.

REGia Tuo *rarissimæ Virtutis Genio, quò facile dissitos etiam omnium Animos, augusto Maiestatis illi io, in* Tui *attrahis amorem, Vniversorum mancipata regis corda, obstinatamq; rebellium fatorum violentiam, Magnis plerumq; Nominibus, quandam invidiæ labem, obtendere conantium inusitatæ excessu mentis superas facillimè Regiam ex libus in humeris, affero Angelorum,* PERILLVSTRIS & REVERENDISSIME DOMINE. *Addo Regiam, non impari regnandi arbitrio, ambitumq; complexo gloriæ, immortalibus factis ubivis Gentium terrarumq; conspicuo, ac velut primæ Magnitudinis sideribus, illustri zodiaco, fasciato Gentilitiæ Domus* Tuæ *Orbi, cui unus non sufficit etiam Macedonis Genius, plures in Vestro Sanguine spectans* ALEXANDROS: *non ignarus, eam nullibi extra periculi cladem esse securiorem, quam in* Tui *sinus, Patricijq; Decoris circumferentiæ, ubi Mithridates adhuc infans, atroci quondam tactus fulminis ictu, conservatus illæsus, Lechiadumq; Regnum, varijs dissensionum insultibus, furtivis hostium incursionibus, sauciumq; vulneribus* Reipublicæ *Corpus, plane exsangue, dulciori sanioris consilij reintegratum medicamine, perspicacioris Ingenij præmunitum moderamine, ut prævisa iacula minus feriant, ac saluberrimo medelamq; ferenti ligatur vinculo: scilicet;* nil tela nil ignes. *hinc evoluti, & illustri emancipati germine formidant, sed eunt contra audentius. Accessisti Summis Par, sacratior. Numa Religione Pompilius, Zenone prudentior, Æmilio generosior* vultu veneraris amicos *Metello constantior, hospitalior Iano,* ipsumq; Tibi faciens servire Catonem, *Planè hoc* nobilis ortu nascebaris *æquæva* cum Maiestate creatus, nullaq; privata *passus* contagia sortis *ultro* Te Regia *protulit,* & Patrio felix potuisti adolescere in ostro, cuius, membraq; vestitu, nunquam temerata profano *in sacros cecidere sinus. Maluisti tamen in virtutes crescere, & per Merita, perenne Heroum ascendere Augustal, ut indefessus altius & altius assurgeres, & in Honore, Maximo Tuo obligato Nomini, arctius diutiusq; oneribus sacris Atlas supportandis sustinereris. Sic* patiens animas per tanta negotia, emersit, similisq; sui, iustiq; tenorem, flectere non odium cogit non gratia suadet. *Agnovit Romanus in* Te *Apex eximium omni eruditione Caput, quod inter Sapientiæ Propilea, Sacratioribus dignum censuit Laureis* cum Te I.V. [illegible] Doctorem, iterum in [illegible] ex utroq; [illegible]

septicollis Vrbs venerata, singulare in Te *delicium.* Latiæ meminere *Musæ, dulcissimæ oris* Tui *illecebra, aut sanctiorem* Demosthenem *memorando aut* Periclem, *aut si fulmen etiam cordi est, Augustini, quo caucasea etiam pectora, in* Tui *devincires reverentiam.* Ivisti *erudito passu, ad omne Eminentioris suadæ Culmen, quo difficilis quidem, sanctior tamen* Te *duxit Appia, ne Merita* Tua, *quibus iam inde in Patria destinabaris, sterilescerent. Nec vanum* Exotici *Solis præsagium, Iove dignam, & Augustis Regum mentibus indolem* Tuam, *Patria salutârunt limina, dissitis e Gentibus, dulce cum virtutibus invehens pignus, quod plerique peregrina luce, non illustrant, sed decoquunt, plus umbrarum, quam splendoris, è calidiori solo importantes. Procul a* Te *omne tenebrarum confinium, quod* Tu *nativa vultûs* Tui *serenitate excludis, nec* Tua Te *probibes videri luce, cum summis in Ecclesia verticibus, dilectum geras pectus. Patuit hoc in Prænisliensi Cathedra, ubi sacro illi Cyneæ, delitio Musarum suadæ miraculo, ac veluti utriusque eloquij simulacro, Magno Præsuli, Eminentissimo* DONHOFFIO, *in Vicariam sacratioris Areopagi assumereris Provinciam, æquissimus sanè Iudex, tot probatissimus documentis, quem etiam Metropolitana Gnesnensis Cathedra, Tribunalitijs toties exercuit Dignitatibus, ubi eminentiori trina vice Præsidentis fulgebas titulo, id multis nunquam, plerisque rarum,* Tibi *ferme familiare, gloriæ decus reliquisti ea ibi pro Domo, Patriæ integritate. Innocentum salute, Oracula, quæ Ciceronem, pro Romano Senatu, quæ Apollinem pro Delphis decuissent. Nolo hic &* Tibi, cum Tua moveant momenta polum, *Gentilitiæ* Tuæ *Telæ, texere panegyrim, Cuius elogia antequam retexere poterat doctior consenuit Minerva.* scilicet Pallas anum simulat fusosq; in tempora canos, *addit & infirmos quoque* sustinet *artus. Non ignarus,*Te *Cælo dignū celari potius, malle ut ita clarior maiorque appareas in Publico. Benevolo ergo Patriciæ Fasciæ* Tuæ *comprehende Regiam meam sinu, associa* Tibi *Doctor Meritissime, Doctorem Angelicum, Regia hâc adumbratum, fruére, felicitate, diutissime, quam boni* Tibi *indulsere Superi illustra Ecclesiam, ut cepisti, Meritis Patriam decoribus Amicos nativâ quá assoles, Frontis* Tuæ *amænitate, infer Astris Caput, quod Pontificijs impulsu meritorum. Tiaris ac Infulis prodromus coronet Honos, & Palladem, quæ ad* Tuam *olim te iam, nunc pro* Te *ad Aras devotissimam, sinas senescere.* Ita *vovet.*

PERILLVSTRI & REVERENDISSIMÆ Dominationi Tuæ
omni obsequiorum genere

devinctissimus Cliens & servus

M. Paulus Joannes Kuuk P. D. & P. N. AA-

REGIA ANGELORVM

NATIVIS CIRCUMFUSA AQUIS.

AUGUSTAM Principis Astrorum sedem, Regaleq; Divæ lucis Atrium, quis unquam crederet, in unius posse sacro pectoris ambitu comprehendi; nisi spectantium oculis impressa fides, Angelico didicisset Magisterio, quod vix Cælis capere concessum est, potuisse id terris contingere AA. Vanas pridem desijt in auras, Xerxei fastûs arrogantia, ex densissima Cimmeriarũ umbrarum nube, quam Icario temeritatis ausu, præstantissimo lucidiorum corporum obtendere paraverat Elemento, nec minimum lucis diluculum, in præmeditatum contrahens facinus; acsi prodigiosa illa, Ephesinæ Dianæ, malesano delubra incendio, sui Authorem sceleris, illustrarent Herastratem, aut rapta Cælo lucis particula, Prometheum, pænâ potiùs caucasi marmoreâ, quàm immortalitatis memoriâ digniorem. Vnum Te sæcula viderunt Angelicè Magister, Qui ad catenas Soles tráheres, dulciq; mancipatos obsequio, in novam Tuæ lucis derivares amplitudinem, sanctiorem Angelico in pectore figendo Zodiacum, quàm Cælorum præstitère intervalla. Quidquid ferum est, a Tui pectoris arces triclinio, adituq; prohibes, quidquid brutum. Scorpiones, retroversatiles cancros, natos ad macellum Tauros, & quidquid silvestre ferarum genus est, Angelici foro pectoris cessit. Quæ societas lucis cum tenebris, quod Angelico candori fæduscum ferocia? in purissimo Virginis signo, ut potè sapientiæ simulacro, Angelicum præstat solem hospitari. At Motrices Cælorum Virtutes Angelorum, angustum videretur capere Atrium, Augustiori magnæ mentis opus est Palatio, quod diviniori ambitu, tantos Hospites, Cælorum Inquilinos, posset comprehendere. Sed terrent me iterum incerta humanæ sortis vestigia, terret mole suâ ruens, infausta rerum vicissitudo, *& absumens magnalia luxus.* Quidquid splendida congeries, in sui conquirit ornamentum, quidquid dives in auro Arabia, pretiosissimis India in Cimelijs, Italia holosericis, Roma splendoribus floribus Florentia, Oriens occidensq; Vniversis in decoribus, Orbi stuporem intendit, nihil nativa Majestate securum, nihil tam firmum, quod cænosam exitialis præcipitij declinet abyssum. Humana omnia tanta sunt, ut jocantis nonnisi fortunæ possint esse ludibrium. Quidquid hic stare videtur, ruit impeturosiùs, quo porrectum sublimiùs. *Cælum & quidquid in illo est, immutat formas tellusq; & quidquid in illa, Nos quoq; pars mundi,* & vicina Cælis Vrbium Propugnacula, graviorem de celso formidant perniciem; scilicet nihil tam munitum, quod vi doloq; frangi non possit. Plusquam sacrilegâ flammâ, horrendum illud Naturæ monstrum, vulcani pessima proles, ipso exprobrandus cognomento Nero, Vrbium orbisq; consumpsit Deam, Saguntum Annibal, Scipio Carthaginem, Troiam Achilles, propriæ Patriæ peperit ruinam Paris, vastitatem Vniversi ambitioso Alexander subiugavit imperio, scilicet: *Clara fuit Sparthe magnæ viguère Mycenæ, nec non & Cecropis necnon Amphionis Arces, sed altæ cecidère Mycenæ, magna fuit cenjuq; virisq; nunc humilis veteres tantummodo Troia ruinas, & pro divitijs tumulos ostendit Avorum.* Mali non parcimus optimis, nuper Gigantonomachiam ipsis intulimus Dijs, non montibus, sed mentibus etiam Pigmæi Cælos expugnaturi. Ab humano igitur ingenio, Cælestibus quod tutum Genijs Tabernaculum? Novam quondam ipsis Martij diebus, Vestæ Religione celebres, & perpetuum Aris imposuère ignem, novis Curiarum

vertices cingebantur Laureis, Vatis testimonio: *Laurea Flaminibus quæ toto perstitit anno, tollitur & frondes sunt in honore novæ. Ianua tunc Regis posita viret arbore Phœbi, ante Tuas itidem Curia prisca fores.* Magnus olim Iuppiter convivas in terris excepit Deos; novam ego hodie, vel in die Solis expositam, plusquam in quadro Solymorum video Civitatem, Cælituum Provinciam, magnificentissimum Divi DOMINICI Augustal sacram ex antiquo PRÆDICATORVM RELIGIONEM, DOCTOREM ANGELICUM, congruum Divinitatis domicilium, tranquillum fluxarum rerum Portum, *qui statio fidissima Nautis*, naufragantium per spatiosum mundi æquor, spei bonæ Promontorium, in labili Orbe inconcussam Christianorum Columnam. Quotquot in firmamento D. PATRIARCHÆ Vestri fulgetis sidera? quot suavissimos virtutum Vestrarum concentùs, tot Angelicos inter nuptias Agni Choros, *audire mihi videor* Digna sane cuncta hæc, Regali Atrio ornamenta. Divinissimum proinde THOMAM, submisso venerationis cultu, devinctissimo pectoris Argumento, Regiâ Angelorũ, Nativis circumfusâ aquis adorabo.

Dabis impari licet, Tuo tamen, & de Te loquenti veniâ, Divinissime Doctor, aperies sinum gratiæ, ad Regiæ Ianuam pulsanti, patentemq; ostendes Portam ad Maiestatis thronum, pedissequam Philosophi Tui admissurus promptitudinem, umbratilemq; Phæbeæ lucis Tuo pectore illustrabis radio, futurus, quæ Musis alias Aurora, & mihi amica. Parces & Tu Auditor humanissime quidquid non pro Dignitate tanti Nominis & Regiæ dixero magnificentiâ, solita suppleturus humanitate:

Magnum certè humanisq; impar viribus opus, exilibus meis incumbit humeris, cum nec Dædalea Arte, nec Myronis aut Policleti ope polleat animus, ut humana vi cæleste fastigium, ac sublimis Angelorum Regiæ, Cælo intendam por rigere culmina, subtilioris scientiæ insignita decoribus, seculorum stupenda Negotijs, aspectu pulcherrima, situ mirabili saluberrima, AA. Quamvis enim illa quæ Excelsi fecerat dextera, ipsius Authoris oraculo approbante, fuerint bona, confusam tamen rerum fuisse congeriem, frigida constat pugnasse calidis, humentia siccis, mollia cum duris, sine pondere habentia pondus. Scilicet *unus erat toto terræ vultus in orbe, prima fuit rerum confusa sine ordine moles, unaq; erat facies sidera, terra, fretum.* post illam indigestam rerum molem, post nefandum illud Fratricidij scelus, ab inquieta Caini Conscientia, prima Enochiæ eructa sunt rudimenta, construxitq; infelix transfugæ manus perpetuum suo carcerem vitio: ex lapidibus murum *fraterno madentem sanguine prius?* sumpturus ita a se ipso vindictam, nullò adhuc præter SVPREMUM, in terris Iudice existente, aut graviorem certiùs, quia a proprio Filio expectaturus; ut qui stulte fraterni cruoris innocentia, concessam suæ frugi, polluere præsumpserat Cererem, belluæ, ferocientis specie, iusto sceleris sui supplicio, morti destinaretur; ex hac innocui sanguinis tempestate, generarentur viperæ, Authoris viscera, ultrici violentia, corrosuræ. Boni superi? cur non felicius Vrbium Civitatum Provinciarum poterat fuisse initium? cur non Divinæ potiùs Benedictionis rore, quàm fraternæ maledictionis fulminetacta stetere mænia? ita ne intra prima mæniorum rudimenta, scelerata nonnisi latitabunt capita? non tutum, sane sceleri receptaculum, insons *Cælo gaudet aperto*, ubiq; sine metu, ubiq; sine periculi vicinia, flagitium præter Attilam Tamerlanem, grandius irati Numinis sentit flagellum. Erigat hodie vel e sui Nominis cineribus, si vel hi superstites relicti, coronati capitis vinculum, solio quondam fultum eburno, inter Antrorum latebras non nisi Serenissimus Popielus, Nonne hanc insatiabilem Patrui cruoris belluam, ceu inexpectatam rarioris pugnæ Victimam, intra Crusvicienses muros, portentosi mures, Divinæ Vindictæ Satellites, avidius devorarunt. Tantæ molis erat furtivum timidorum animalium genus, pro SVPREMI Moderatoris iniuria vindicanda; documento futurum, non posse tam grande perpetrari nefas, quod grandiori morte, aut non possit, aut non debeat expiari. Felici erecta a Didone Carthaginis stetere Pergama: *Vrbs illa dives opum, studijs asperrima belli, quam Iuno fertur terris magis omnibus*

magis omnibus unam, post habitā coluisse fama: felicius Atheniensis a Cecrope Regni stabilita gubernia, Peripateticorum Sedes a Minerva Athenæ, ab Heraclidarum Aristotemo Sparthani, a Polonorū Traiano, Cracoviæ, Regum Cunæ, politioris ævi eruditissima Ingeniorum Magistra Cracovia, felicissimè ab Anachoreta, sub Dio inter implicata Nemorum, apricante virgulta Regiæ Nostræ Fasces, inter adstantium ramorum umbras, securium fulgores, inter aggrestes Fauni truncos Senatoriæ Curules & subsellia, nec non contra omne humani insultus robur validiùs duratura, plusquam Prophetico Spiritu prædicuntur fundamenta. Obmutescat quamocyus invidiosa generoso sanguini lingua obmutescat, vel ex maternis haustum visceribus suffocatura spiritum, aut generis, è memoria Mortalium, satyriso illo, deletura Nobilitatem *Stemmata quid faciunt?* Nonne hæc Vniversi pretium liberrimæq; Gentis Insignia, ex quibus Maiorum, maxima virtutum discimus specimina, in charo semper renascitura pignore? Nonne ab his vitæ tabulam, consanguinitatis Arborem, & lineam ducimus immortalitatis? Nonne cæcutiente ad diei serenum insua Noctua, illustriores evasère Athenienses? Thebani, sub sua sphinge latitarunt gloriosius? Assyrios Columbarum mansuetissima, ultra Honoris extulit ædificia? pascuntq; uberiùs Lilia Gallos, in campum gloriæ, feliciùs altiusq; assurecturos; Nobilissimæ Lechiadum gemmæ, Polonorum Animæ, Orbis æstimationem. communesq; humanæ gloriæ, in alba Aquila, supergressæ Terminos. Victoriarum Trophæa, Empyreo intulère sibi & succedaneis, pedem in æthere fixère, a cunctis formidandum, adorandum. Quid plura? solenne est, præcipuis Regni Metropolitanis, concessō sibi clementiùs, a serenissimis Majestatibꝰ, incorruptæ fidei, fortitudinis infractæ Lauro & Insigni, Portarum redimire frontispicia, ut vel hinc venturi discant, reverentiam exhibere Incolis, tanto aliis maiorem, quantò Patricio antecellunt Monili tandem cum pleno titulo in posteritatem manaturo.

Parum est Modestissimo Infantum D. THOMÆ ex Landupho Comite Divæ Domus serenùm in Regiæ traxisse Comitatum, Maiorum ceris, sui ortûs splendore, accendisse lucem; nisi ex Matris Theodoræ lacte. Regnorum iam Candidato non mendaces, ut Romæ Dij, sed veriora Numina, specialis doni gratia, primo Regiæ Angelorum lapidem iecissent Angularem: Nimirum illius, quod peritissimorum Ingenia, rara in sui admirationem rapit pulchritudine, Architectum agunt Cælicolæ, quod solertissimam humanæ industriæ excedit indaginem, illud sine Divorum consultatione fieri nequit, illud Cælituum munus est, & Deorum artificium. Verum ut omnia sibi, nihil præter originem Jllustrissimæ, fortior sparthanus, deberet Prosapiæ, aheneum immoti pectoris murum, Astreæ circumcingit, Insigni scilicet hic *Patria est unoq; Vrbis sunt in pectore muri,* non tantum ex hoc signo, signatam rei probaturus evidentiam, sed etiam ad oculum demonstraturus; Cuius pectoris Ostio, Supremæ Motrices Cælorum Intelligentiæ, aureum Iubar, quo sibi nihil pretiosius est, nihil charius, nihil iucundius, nihil similiꝰ præfixère, illum in Regiam eluxisse Angelorum, ad cuius Portam, Sydereæ Reipublicæ Primas *excubias agit ipse Titan.* Sanè castissimus Pusio, Ministratoriis alacrius ministravit Spiritibus, mente adoravit ferventius, devotissimo adstantes recepit corde, Cor suum, & amoris & Angelorum Regiam esse ostensurus. Procul iam procul ab animis mæstis, Incolæ, incendij removete timorem, quamvis proximus hic Vcalegon, *æthereo ardeat igne, qui summaq; locum sibi legit in Arce,* tutiores tamen hac flamma, quám accensis in collibus, suis olim Sicilia Angaris permansuri. Ex hoc Nitidissimo solis Capite Nemo est, quj Romano magnificentius sine fastu, sine inflata tumoris iactantia contra edacis temporis ingluviē validiori robore perseveraturum non sperasset Capitolium, nisi ad Orientem positam Angelorum Regiam, loco amænissimam, non sine honorum meridie, eminentius Vrbium Caput, vel ex primo basis intuitu, mallet concludere, quæ ut dirutorum *Pergamorum seges, ubi Troia fuit, resecandaq; falce luxurians Phrygio sanguine pingvis humor,* ita assurrecturæ molis certissimum est indicium. Jta est AA. primo ortûs sui

Mane Diviniſſimus Athleta, immenſam adeptus Dignitatum augem, quàm provectiſſimi ætate aut nunquam aut rarò poſſunt attingere, citius quàm mereri potuit, meritorum fecit meridiem præſtantiſſima anteactorum ſeculorum Ingenia, æquiori Iudicij ſui lance, ad iuſtiſſimam Areopagi ponderaturus trutinam, affluxura ſibi horarum momenta, dierum ſpatia, in boni rectiq; æquilibrio peragenda, pluſquã auro Cedroq; relicturus connotanda. Noſcebatur iam ex tenerrimo Vngue Leo non tantum contra orthodoxæ fidei irruentes fortiſſimus Atlas; verum a tunc a maieſtuoſo claruit cultu, quanta in vaſtiſſimo tenelli Capitis cerebello perfectiſſimarum ſcientiarum plenitudo, quam eruditiſſimis poſteritatis labor, ad omnes diu Noctuq; licet quæſitus ungues, nedum capere, ſed vix poſſet eius ductum imitari. Jam tunc Regia erat Templum DEI, prudentiæ oculus, libra iuſtitiæ, (a.) fortitudinis ſedes Regula Temperantiæ, *honeſtatis exemplar*, Charitatis ſplendor, fons gratiarum, Muſarum Atrium Poëtarum Gymnaſium, Philoſophorum. & Theologorum ſacrarum, prudentum *Se*natûs, præmium literatorum, innocentum refugium, Præſidium miſeria oppreſſorum tutiſſimum.

Reliqui præter nudam corporum molem, nihil Purpuræ involvunt, cautiſſimos inter cunabulorum motus, aut ſpem tantùm in herba, aut in Authorum fide an fallacibus ſitam promiſſis, *quibus dives quilibet eſſe poteſt*, mitior ad ſolutiorem vexit Lucina, paſſuq; vehit teſtudineo. Modeſtiſſimus Puſio, velut Orientis & Septemtrionis Imperator, a nullis ad huc arctius preſſus, in omni robore, Privilegij Authenticum, Digito conſcriptum Altiſſimi, in porrecta ſibi deſuper ſchedula gratioſiſſimis, qua MARIÆ plena ſalutationibus, cordiali, ſecretiorum Virtutum, impoſuit ærario, á Nemine unquam violandum. Quid agis conſtantiſſime Infantum? hic ne levis folij character, grandem ſcientiarum ſatiabit appetitum, Qui doctiores Orbis, Te ipſo impleturus Bibliothecas, Vniverſi pretio haud coemendas. *Reptaſſe potius debueras per ſcuta puer, Cui Regum feroces exuviæ ludus erant eſſentq́.* o Cor docile, Divino pabulo, Platonico enutritum Convivio. Credite AA. *in ſanctiorem Illum excreſcere Gigantem, Dijs novâ vi Cælos erepturum quem MARIA augmentat, nihil ſenſurum adverſi, qui Mari vivit gratiarum, nulli ſuccubiturum periculo, cui Potentiſſima Terrarum Cælorumq́ ſapit Domina, non Regiam tantum fore, ſed æternum etiam regnaturum, qui MARIÆ famulatur.* Tantis Diviniſſimus Epulo, lætior Saturnalibus, nihil humani, præter Angelicam humanitatis ſalutationem, præter efformatum ex humo geſtiens corpus, quanquam & hoc Cæleſtinus, a SSmæ Triadis Latere Legatus, aſſumpſiſſe tantum verius exiſtimabatur Viator ad huc, ceu iam in perennaturæ felicitatis Patria Comprehenſor, non humano veſci debuit pabulo, ad quod in ſudore manducandum, Iuſtitiæ rigor, ob primum mali punici, & nunquam ſatis puniendi eſum, condemnavit ſucceſſores: Non ignarus, ſub ſplendidiſſimis eduliorum condimentis, lethificum abſcondi dolum, quo in vino naufragi Pannonico, vi prius nare, & tandem in cauti convive æternum cognantur periclitari. Accipite Bacchi Cererisq; fidiſſimi Achates, rarioris ab Angelico Juvene & Sanctioris continentiæ, exemplar, Saturnales inter Iubilantium ſaltûs, Marianæ vacare ſalutationi. Nimirum medijs *Tantalus ſitit in undis*, medijs in ignibus vivit Salamandra inter delicatiſſimas Mundi delicias ſcientiarum Helluo lautius convivât ieiunando, abſtinendo. Immenſum gloriæ calcar adeſt, Vobis PP. Religioſiſſimi, Auguſtiſſimæ, Cæli Terræq; Imperatrici, Veſtræ alias Domui Inquilinæ non adventanti, ſed nova Charitum gratias, quotidie deſuper accumulanti obvij ſubmiſſiſſimo venerationis poplite ſiduciale occinentibus Salve. Vere ab Angelico Doctore in Angelo eruditi, quo Eminentiæ ſitis repoſiti gradu quanti in omnibus? niſi Veſtræ gloriæ ſplendoribus excæcatus, Nemo eſt, qui lyncæa non luſtret palpebra, dumæque ſanctitatis ac vitæ hæredes alterno licet choro, optimè tamen Doctori Veſtro conſonatis. Jlle in ſuæ vitæ aurora, Vos e ſua iam recedente ſtatione Phæbo Auguſtiſſimæ applauditis Reginæ: Nimirum alieno, eloquij Veſtri & doctrinæ claritatis

claritatis, haud indiga lucis adminiculo; quæ per se *proprio splendescit ab usu* Suppletis utiq; solis absentis præstantiam, qui ad Vestræ Salutationis sonitum, Superis gratissimum, *consueta sede movetur*, Vos, in suæ dignitatis sonitum collocalos, relicturus ut perinde sit, unumquemq; Vestrum, ac Solem vidisse serenissimum.

Contentissimus his chartarum epulis, sanctior Papyrius, Literatissimus AQVINAS, ceu a captu humano remotius Cæli arcanum a Sacris Benedictis conservandum Rosis, Benedictæ committitur Disciplinæ, ne suum, miro sanctitate Casimiro deesset Lilietum. Regiæ Angelorum, paradisiacæ plusquam Hesperidum, hortorum deliciæ puriori Narcisso viridarium, etiam ex hoc *Sybaritico* gaudio, cursum gloriæ, felicius consummaturo, generosius vel ex his Rosis incirco luctaturo. Nimirum non semper imbellem Adonidem probant flores, prata luxuriem, Lacones ad prima militiæ rudimenta, porrecti in cunis provocant clypei ad ardua Milonem in fascijs disponit iuvencus, gemini in cunis elisi Herculem loquuntur serpentes, sed monstrum, etiam illud Hydrarum, septem oribus & capitibus, adulti iam Herculis proclamat fortitudinem, Orbis iam seculorum decadibus ferme deficiens Miltiadis stupet trophæa Sæpe ut præcox sublimioris iogenij indoles, raro maturescit; ita & matura a teneris in provectiori iuvenescit ætate, delicatas a juventute perosa delicias in arduis silvescit supportandis, scilicet *Angelicus Iuvenis senibus mutatur in annis* Idem innocentiæ animus, mens semper eadem, quæ quinquenni THOMÆ, etiam extra sacrorum Cænobium de virtute crescenti in virtutem, Neapolitanas Laureis implevit Cathedras, Doctoralibus Mitris inferens Coronas, elevatiora admirabilis ingenij, sui Magistris, imprimens specimina, quæ exactissimi hucusq; mandant memoriæ. Neapolitana certè, Divinissime Doctor Te non capit Regio, aliud quære Tuis par virtutibus, sacrum D: DOMINICI Regnum sed eheu quantam & hic vim patitur? proh superum hominumq; fidem? Agrippina, Neronem præ Filio Viperam aluit, maluitq; ut intra materni cordis sphæram crudele in se, crudelius in omnes imperium exerceret. Evangelica Matrum devotissima, Natis binis ad latus Supremi Moderatoris exorans subsellia: Tu Theodora a Divorum consortio, simul & Regnantium sceptris, *Charam Dei sobolem & magnum* amoves Jovis *incrementum*. An non Te Divini rigor terret effati: *Sinite parvulos venire ad me*. Nihil ego Matrem AA. Mater Divinissimum Athletam, sanctissimo in Aulam, avocat proposito, post tantam annorum septem rata *virtutem tandem & summam* cohabitare *potestatem*, *fraudemq;* sublimi, non regnare in Aula, utq; Nemo docebit fraudis & sceleris viam, Regnum iam non docere. O furor furiarum infernalibus dignior furijs? dolor dolorum, ab Amicis acerbissimus. Landolphus & Reinaldus par fratrum quam dissonum uni tertio? tyrannidem, quam vix Carolus audax, aut Henricus, primus Ducum Brabantiæ Laodiensibus, Alexander Dario, Brutus Julio. Caligula Populo Romano, Domitianus Civibus, Dirius Artaxerxi, Tiberius Cæsar affinibus, Ptolomæus Lisimachio, Fratri cogitarunt Sistitur non ferro tractus, sed ferrea Fratrum voluntate, sine rubore candor, sine sanguine rubor, ante ardentis ira Matris tribunal, & quæ opiparo flecti nequierat convivio, nec blanditiarum allici lenocinio, rea carceratur innocentia. *Rara* rara constantioris animi icon, mens omnibus adversæ Deæ, immota argumentis. Novus pro Fratribus anathemizatur Josephus, post biennalem carcerem, laborantem mundum, ne extrema infamis ignorantiæ interiret fame, frumento refecturus Electorum, captivam suo ingressu Iustitiam, & damnatam ad tenebras liberaturus virtutem, non Oppida tantum ab Aarone concessa, sed Regiam suæ stirpi relicturus Angelorum.

Sola nonnisi amplitudine vastiorem, Regiæ nonnulli ponunt circumferentiam, non multitudinis turbâ desertam, non angustijs pressam, omnibus belli opportunam præsidijs, recenti munitione formidandam, divitijs locupletissimam omniumq; rerum copia refertissimam, & Natura & opere munificentissimam,

Scilicet *Romulus & Saxo lucum circumdedit alto, quilibet hic inquit confuge tutus eris.* Divinissimo THOMA, Regiæ vestibulis a Matre violentius occluso, ne suû quoq; deesse Propugnaculum videretur, quid firmius, quid validius, nullo unquam læso vitiorum confinio, non vi, non metu, non telis aut hostium fraude, cautisq; dolis, aut insperato pavente stratagemate, nullis unquam cessuro triumphis. Obserebat omnibus irrecollecta fores Genitrix, Scelesto non nisi amori aditu patefacto: non ignara, hunc & *magnis dare Iura Quiritibus, non* Heroum tantum Nominibus, sed Numinibus etiam imperare; unum posse, quod omnes nequeunt. quod non fallax fortunæ promissum *Scilicet Salomon & Scipio vict: vicit amor.* Eheu actum est de Te Adolescentum castissimè actum,! contra Subdolas damnandæ Amazonis supplantationes cunctis destituto suppetijs. Cypreæ Deæ, & numerosa Gentium turba magnum sine Parsimonia concessit vectigal: scilicet *& venus e tota gente tributa petit.* Iurat iam, eheu intravit? Regiæ claustra, claustris omnino extirpandû eradicandû, eijciendû Gorgonidis monstrû monstrorû terribilissimû. o dira simul & dura fata? o castitas? o sanctitas? & modestia? periculo exposita? Sed quid ego? *motos animi præstat componere fluctus.* Pugnat quidem contra immotam malorum iliade mentem suis blandimentis, animæ constantiam expugnatura, pulsat cordis ostium, castimoniam humanius an familiarius expulsura: ignara incendiosum Cupidinis Vesuvium, vel unicam Aquinaticæ lymphæ guttulâ posse extinguere. At Divinissimus THOMAS *compescuit ignibus ignes*, manum foco, novus injiciens Scævola, arrepto torre: in authricem sceleris iacula fortius retorsurus, cæcæq; Deæ restituturus lumina, libidinis amorē, igneis globulis ceu tormento e rerum natura explosurus, ut incendio nefanda periret Dea, quæ in castâ peccare audebat flammâ, sacrilegijq; furtum, quod in THOMA committere intendit, igne concremaretur. sic *per quæ quis peccat per eadem punitur & idem, iustum est, & necis artifices arte perire sua.* O Nimium Dilecte Deo, *cui militat æther, & coniurati veniunt ad classica venti; Te propter gelidis Aquilo de monte procellis, obruit adversas acies, revolutaq; tela vertit in Authores, & turbine reppulit ictus.*

Age iam Divinissime Triumphator, eò e carceris enitendum umbra, quo accensa in Vigilantissimi Canis ore fax ducit Antesignana, Fenestra Tibi Porta erit Eruptoria, qua tandem Eruditissimis totius universi Magistris, Tu quoq; Angelice accedas Doctor, hominibus Cælitibusq; additurus, quod cuncti in uno ordine venerentur & nunquam satis possint admirari. Eris hic quoq; Regia, commodo loco ad scientiarum posita mare, rebus ad immortalem vitam abundaturus necessarijs, aditu q; Civibus facili, ab hostibus difficili: Nimirum teste Livio Regia in editiori loco in prospectû liberrimo est reponenda, ingrediendi & egrediendi ratione flexuosa, vallo, fossisq; munitissima. Magnitudinem proinde Regiæ Nostræ AA. vel a maximo Ordinis Professore metiri licet æqualis Alberto Magno Doctori Discipulus tanto avidius Dominicanam amplectens institutionē quanto diutius ab ingressu detinebatur, ut quo altius moliebatur Propugnaculû, eo profundius sterneretur fundamentum. Surrexit altius momento seculorum structura a rea, Neronis Domui Iuliorum Palatijs, Augustorum Bulneis, & quid quid prodigij Universis dedit ingenijs Ephesum in sacro Dianæ Fano, Rhodus in Colosso, Hercules in Columna, Ægyptus in Pyramidibus, specioso auxit pulchritudinis decore. *Barbara iam sileat miracula Memphis.* Regia nostra, prima inter Divorû Urbes, *unde quod est usquam Regionibus, inspicitur, fama tenet, summaq; domû sibi legit in Arce. Nec exiguis est quæ finibus orta retendit; in geminos axes, parvâq; e sede dispertit cum sole manus, quanta nec est nec erit nec visa prioribus annis, O Patria, Divorum Domus Ilium, & inclyta bello mænia Dardanidum!* Quis Te Divinissime THOMA si Serenissimum Tuo Solem in pectore, sine lacrymarum inspexerit naufragio, Regiam illam Turri quam pusio arripueras, Eminentissimam Davidicâ non deprædicabit? scilicet *& septem posses ostendere Portas, hæ pro Nomine erant, & quæ erat illa docebant, ante Urbem exequiæ tumuliq; ignesq; rogiq;* Quis spatiosum terræ Corpus trine dimensum, Pectoris altitudine latitudine profunditate, non videt Te

excedere? Stellas, iuxta Divinæ Mathesis calculum, terræ non potest capere sinus sacri Tui pectoris amplitudo, solem terra comprehendit maiorem. Quis ex cælestis Tauri signo ELIZÆVM Te præsaga non invocaret mente cui bos aureus præmugiit nascituro. *benè benè bovis gaudes titulo in Numen* Tu verius transformandus cuius nuper formam Iupiter assumpserat: *Littoribus tactis stabat sine cornibus illis, Iuppiter inq; Deum de bove versus erat.* Bene Angelicæ nobis Regiæ, tradux hic, qui Cadmo olim, Thebas condituro, locum Vrbis designat: scilicet *bos tibi Phæbus ait solis occurret in armis, nullum passa iugum, curvi q; immunis aratri, hac duce carpe vias, & qua requieverit herba mænia fac condas.* Jactent jam ludibriose magis nonnulli, coronatum proverbia asinum, gloriosissime Taurus hic, Doctorali S. Theologiæ Parisijs insignitur Laurea, Concilis Sacris, Primas, ex sua prima de DEO, daturus consilia. *State* iam coronati plenum ad præsepe Iuvenci ubi Taurus, *An*gelicus Doctor, feliciori aratro, pulcherrimo charactere, Orthodoxæ Ecclesiæ infallibilitatem in Orbis facie exarans, Soli DEO se victimam offert, humiles suavi iugo submissurus toros, Immensitatem Eius, & SSmam Trinitatem, novus Augustinus clarissima prædicatione inter Gentes, Abbreviatum Verbum, contra ipsas Gentes, Gentium Doctor portaturus, illudq; & longiori sermonis elegantia elucidaturus. Ruite iam impetu, quo maiori potestis, rebelles Hæresiarcharum Animæ, maledictam rabiem, in Vniversalē licentiùs effrænaturi Matrem. Doctorem *A*ngelicum, firmissimam Angelorum Regiam, nativis utiq; circumfusam aquis experiemini, inexpugnabilem inaccessibilem. Horrendius Horatio Coclite vitæ vestræ imminet barathrum, THOMAS, abyssus est, cæco vos præcipites impetu absumptura. Aurea Opusculi sui catenula, qua, omnis tuetur Immunitas ferreas pedibus vestris ligavit compedes, quibus, vos Principum hæreticorum capita, turpissimi servitij agere mancipia, aut ni resipueritis ligata, infernalis averni implere profundum, necessum est. Frustra proinde frustra, in Vestro reboatis Buccero, tolle THOMAM, THOMAS vel sub hesterno cinere, *Ignis consumens*, sectarum Vestrarum delubra in nihilum redacturus & favillam, putatitium Vestri Argumenti robur, ceu pulverem dissipaturus, inquo, Novus DANIEL damnatæ Errorum pertinaciæ, fraudulenta sacrificulorum vestigia, e doceat Vniversos. Vere Redivivus ex hesternis Cineribus, rarior Orthodoxæ Ecclesiæ Phænix. Hypocritico pietatis zelo, busta parat, rogum accendit: dignum falsa fide lumen, sibi suisq; perrennaturæ gloriæ ex monimentis erexit monumentum Vobis hisce Mausoleum; ne amplius ex pulvisculis corpora coalescere Naturalia, doceret Anaxagoras Doctori Angelico, totiq, Angelico Thomisticæ *S*cholæ, in Benedictionis Garizim, in Transfigurationis Tabor, in Visionis *Beatificæ Sinai*, in cælestium gratiarum Montes atomi contumuère modestissime. Divina Vos PP. Religiosissimi plenos reliquit gratia ad cuius efficaciam, omnium actuum bonitatem, in suis de gratia disputationibus, a DEO docuit esse præmotos prædeterminatos, Angelos suos, Novus Novæ legis Abraham, ex hesterno cinere in suis de Angelis tractatibus, panibus promissionis tractaturus subcinericijs, ut æterna pace saturemini. Plura Doctor Angelicus facilius edidit volumina, quam ego potui cogitare, quam omnes concipere, hæreticis capitibus perniciosa. Credidisse poteram, abscondita Deitatis Mysteria in pijssimis de Divina Incarnatione lucubrationibus Novū antiquæ legis simul et Novæ Latorē, extra Visionis *R*ubum, quoad essentiā, oculo perspexisse corporeo. Quoties Te Doctor Angelice cogito, cogito autē momentanee toties Tuo nonnisi Oculo authumo videre Vniversum scientiarum Veritatem, conclusionis fundamentum in doctissimo evolvo corpore. Quid plura AA. Divinissimus Doctor Cantica exponens ne vel hæc suo Olori nativis innatanti de essent aquis, in Sacro Novæ Fossæ Cænobio, Corpus posuit Angelicum Anima Cælis remissa, perfectam Angelorum Regiam, vel hac fossa communivit. Hac hac sane itur ad Astra, sed qua ad Angelorum Regiam, unius horæ iter est? Nonquæ Italiæ Oris, superba Romanorū manu, lapidibus strata, non quæ Appio Claudio, Appia Brundusio Romam. non quæ Caio Flaminio Flaminiâ, Roma.

Arimenum usq;, non Amilia in Bononiam, non coctili laterculo adornata, sed Regia uia ad Angelorum Regiam, quâ cum Antiquioribus ad erudita Trivialis scientiæ penetralia, cum Athenienfibus, ad Zenonis stoam, Peripateticæ gloriæ Porticum, pede proceditur liberrimo. Via Thomistica, planissimus veritatis tra mes est, nullis implicatus difficultatum Labyrinthis, nullis extensus ambagibus, declivis nullis, nullis vagis fallacium semitarum septus cuniculis, rectissimus Increatæ sapientiæ Oraculo approbatus: *bene Scripsisti de me THOMA.* Huchuc adeste *quibus unum opus est intactæ Palladis Vrbem. carmine perpetuo celebrare, & undiq; decerptæ frondi præponere Olivam.* Novâ pomparum magnificentiâ, novis plausuū acclamationibus, Angelorum Regiam adoraturi. Mihi interea sufficiet, a Comitibus Aquinatum, Doctorem Angelicum, Regiæ deduxisse Comitatum, a Serenissimo Intelligentiarum Insigni; scientiarum abysso, Nativis aquis firmissimam, Nova sacri Cænobij, fossa munitissimam, non vivis sed translatis delineasse colo ribus, cū Divina & Angelica Eminentia, sano Philosophorū Theologorū sensu, nonnisi per species alienas, possint attingi in ænigmate. Vos tamen adhuc appello, summum in categoria, Prædicamentum, Religiosissimi Prædicatores, quo domesticus Venator optima sanctiorum animarū potitus prædâ, tendit, alio nisi in Angelorum Regiam, utiq; latrat inæde canis, nat in æquore lucet in Astris. Nobilibus genere, deliciæ sunt in silvis canibus venari lepores. Cani Vestro Vobisq; in libris lepores, aut inter Astra Angelicæ doctrinæ, rarissimæ Virtuti Vestræ, quærere pares. Palam est Vestræ fidelitatis Symbolum, palam est facundam Romanæ Ecclesiæ linguam. Christianorum Suadam, nunquam melius, quam ore Vestro fuisse locutam Oracula, qui Nobilioribus inserendi fastis, Ecclesiæ sustinetis fasces, Romanæ Purpuræ, innocentiæ Vestræ Rosa adornatis muricem, Archiepiscopalibus estis gemmæ Crucibus, Episcopalibus decus Tiaris, tot supremi sacrorum Tribunalium Magistratûs munijs fungimini gloriosissimè. Vestri Sententia Capitis Rotam an regit an terminat Cardinalium, Sacri hucusq; Palatij, nunc etiam Angelorum Regiæ futuri Magistri, Divinissime THOMA. Pusio adhuc Augustissimam Cæli Reginam, castissimis complexus es visceribus. Hæc INNOCENTIO III. (b) Castellum est Divis, Anselmo. (c) Castel ū auro undiq; vallatum, ad quod nullus fuit libidini accessus. Richardo a S. Laurentio, Civitas DEI. S. Ambrosio, (d) Porta clausa in Oriente sita, quæ introduxit Portarum clausarum Regem. Andreæ Cretensi Porta sublata super Cælos Cæ lorū, Tu Potentissimo Principum, Invictissimo Regi Nostro JOANNI III: Nova accedas Regia, in qua Triumphator, Regios dies saluberrimꝰ agat diutissime, Kijoviense m, Vkrainense, immo Regna Poloniæ Regnis accumulatura. Lectissimæ & unicæ Regum Filiæ, Cælitum Matri, Almæ Vniversitati Nostræ JAGELLONICIS Sceptris esto Regia. Eius gloriæ extendens amplitudinem, doctrinæ per orbem fundatura claritatem. Nobis omnibus, & mihi quoq; vel hinc migraturus esto Regia Angelorum & migranti.

(b) *serm. 1. de assumpt. BMV.* (c) *hom. in Euang. Lucæ 10.* (d) *in Virg. instit. c. v.* (e) *orat. 2. de assumpt.*